



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Clerico maledico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**



Pœna percutientis Clerici est suspensio ab officio, & nisi monitus se corrigat, degradatio. *c. 1. hic.*

Episcopus, qui, etiam in justitia, aliquem crudeliter cædi jussit; duobus mensibus ab Missarum administratione debet abstinere: *c. 2. eod.* si id fecerit, ut timeretur, ab officio deponi & repelli. *can. Episcopum. dist. 45. & per tot.*

### De Clerico maledico.

#### T I T. XXXIV.

**T**ertium delictum Clericorum est *Maledictum*: id est, cum quis asserit, alteri malum inesse, quod non inest; vel negat inesse bonum, quod inest.

Sunt ergo duæ maledicti species. altera *affirmativa*; veluti, *Tu es spurius, tu es latro.* altera *negativa*; veluti, *Tu non credis in Deum, tu non fungeris officio tuo.*

Utraque punitur pro qualitate delicti. *c. 1. & 2. hic.*

Clericus tamen maledicus, maximè Sacerdos, ad veniam postulandam, per sententiam excommunicationis, *c. fin. 22. qu. 1. c. 3. 6. qu. 1.* compellitur; si noluerit, degradatur, id hic est, suspenditur: *Gloss. in c. Clericus. 5. dist. 46.* nec unquam absque satisfactione ad officium revocatur. *d. c. Clericus. 5. dist. 46.*

Maledictum, cum in Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos confertur, *Blasphemia* propriè vocatur. *c. 2. hic. c. non sunt. 54. II. qu. 3.*

Ejus pœna Canonica olim erat, in Laicos excommunicatio, in Clericos depositio, *c. si quis. 22. qu. 1.* Cui alia conjuncta; *c. 2. hic.* ut Laici septem diebus dominicis præforibus Ecclesiæ in conspectu populi recumbentes, ultimo illorum dierum Dominico, sine pallio & calceamentis, laqueo seu loro collo involuto & pendente, sedentes, non antea Ecclesiam ingredi paterentur, quam sex feriis in pane & aqua jejunassent, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecissent. Clericis autem publica pœnitentia remittitur,



TIT. XXXV. DE CLERICO EXCOMMUN. &C. 295  
mittitur, *c. ex pœnitentibus. dist. 50. c. quicumque. dist. 51.*  
*c. 1. de bigam. privata indicitur. Puniuntur & Blasphemi*  
*pro modo facultatum pœnâ pecuniariâ. d. c. 2. §. fin. hic.*

Propter quam jurium, & ob circumstantiarum varietatem, communis Doctorum opinio est, blasphemix pœnam esse extraordinariam: & proinde judicem pro facti & personæ qualitate eam posse indicere. *Decius conf. 163. num. 1. Covarruv. c. quamvis. part. 1. §. 7. num. 13. de pact. in 6. Abb. & cateri, in c. 2. hic.*

*De Clerico excommunicato, deposito,  
vel interdicto ministrante.*

TIT. XXXV.

Quartum delictum in Clerico est, *Si ministret, cum ministrare certas ob causas non debeat.*

Causæ eæ sunt quatuor. Quarum prima est, *si sit excommunicatus, vel depositus, vel interdictus.*

Si excommunicatus, aut interdictus, ministrat, deponitur; *c. 1. 3. & 4. hic.* & Si majori excommunicatione teneatur, per tres continuos annos pœnitentia ei imponitur; *c. fin. 11. qu. 3.* beneficio privatur; si monitus à ministrando non desistat, ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur: *c. si quis. c. clerici. c. latores. hic.* Si minore excommunicatione tantum ligatus ministrat, graviter quidem peccat; nullius tamen irregularitatis notam incurrit: peccat etiam, Ecclesiastica Sacramenta si conferat; collata licet effectu non careant; quia non à collatione, sed à sola sacramentorum participatione, quæ in sola consistit perceptione, videtur remotus. *c. si celebrat. c. fin. hic.*

Clericus, qui ab officio suspensus, aut depositus, nihilominus ministrat, excommunicatur: *c. 2. hic.* & quidem excommunicatione perpetua. *c. accedens. 10. dist. 50.*

Sed hæc intellige si sciant, se excommunicatos, suspensos, depositos; non si, illud ignorantes, ministrent: Quo casu, si ignorantia est probabilis, irregularitatem non incur-